

studia instantis et deserentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum imperatorem; nam ille quoque noctibus utebatur: inde ad delegatum sibi officium; reversus domum, quod reliquum erat temporis, studiis reddebat. Post cibum saepe (quem interdiu levem et facilem, veterum more. sumebat) aestate, si quid otii, jacebat in sole: liber legebatur; adnotabat excerptebatque. Nihil enim legit, quod non excerpteret. Dicere etiam solebat: «*nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prodesset.*» Post solem plerumque frigida lauabatur, deinde gustabat: dormiebatque minimum. Mox, quasi alio die, studebat in coenae tempus: super hanc liber legebatur; adnotabatur, et quidem cursim. Memini quemdam ex amicis, quum lector quaedam perperam pronuntiasset, revocasse et repeti coëgisse, huic avunculum meum dixisse, intellexeras nempe? quum ille adnisset, cur ergo revocabas? Decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus. Tanta erat parcimonia temporis. Surgebat aestate a coena, luce; hieme, intra primam noctis: et tamquam aliqua lege cogente, haec inter medios labores urbisque fremitum. In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur; quum dico balinei, de interioribus loquor. Nam dum destringitur tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat. In itineré, quasi solitus ceteris curis, huic uni vacabat. Ad latus notarius cum libro et pugillaribus, cuius manus hieme manicis muniebantur, ut ne coeli quidem asperitas ullum studiis tempus eriperet: qua ex causa Romae quoque sella vehebatur. Repeto, me correptum ab eo, cur ambularem? Poteras, inquit, has horas non perdere. Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impertiretur. Hac intentione tot ista volumina peregit, electorumque commentarios centum sexaginta mihi reliquit, opistographos quidem et minutissimis scriptos, qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipse, potuisse se, quum procuraret in Hispania, vendere hos commentarios Largio Licinio quadrigenitis millibus nummum: et tunc aliquando pauciores erant. Non ne